

Diu mihi cogitanti, quæ nam hæc imago esset, tandem incidit esse Baccham Bacchi sacrificulam, vel mimallonidem, vnam, quarum Ovidius meminit in i. De Arte amandi, Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis. Seruius in quartum Aeneidos annotauit etiam Volaterranus lib. xxxiii. Philologiæ, ipsarum orgia Trieterica Latine triennialia dicuntur, quæ a solis menstruosis celebrari solebant, incedebant crinibus passis, tum etiam induebantur pellibus damarum quas Nebrides appellant. Acte furiis ibant, cum tibiis cymbalis & clamore maximo. Vnde & Mænades dictæ, id est insanæ, ut est videre apud Statium libro i. Achilleidos, & apud Hesiodum in Theogonia. Animal quod dextra manu tenet, Galeus esse videtur colore vario cauda aculeis densa, ac ictu venenatus, capitur in locis limosis, cubitum non excedit. Hæc ego diuinanstantum scripsi, si quid certius habes, libens mea sententia discedam.



Imago Laocoontis hæc esse Priami filii & Apollinis sacerdotis, de quo Maro in secundo Aeneidos, Is cum hasta percussisset fatalem à fraudulentis Græcis confectum, à duobus serpentibus cum duobus paruulis filiis comprehensus, necatus & depastus, à Vergilio perhibetur, quamuis Euphorion dissentit, referente Seruio De Simulachro, quod Titus Imperator in domo sua habuit Romæ. Plinius scribit XXXVI. Historiæ Naturalis opus omnibus & picturæ & statuariæ artis præponendum, ex vno lapide cum ac liberos draconumque mirabiles nexu, quod equidem de consilii sententia fecisse constat summos artifices Argeandrum Polydorum & Athenodorum.

